



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

149. An concubenarios suspendere possit ab administratione beneficiorum  
sine speciali mandato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

2. Poterit quoque excommunicare Vicarius Episcopi, etsi Sacerdos non sit; quia id non est ordinis, sed jurisdictionis. Sbroz. l. cit. num. 3. citatis Abb. in c. excommunicato. de rescript. num. 10. Borgat. de irregular. & dispens. fol. 359. quin & posse Vicarium Archiepiscopi excommunicare, uti & suspendere & interdicere Episcopum nondum consecratum, aut etiam consecratum Archiepiscopo absente, ait Sbroz. num. 4. citatis plurimis, de quo vide dicta à nobis supra. Sic itaque in specie poterit Vicarius Episcopi tanquam Ordinarius excommunicare Judices & dominum temporalem, qui ab eo moniti volunt negare Sacramentum penitentiae damnatis ad mortem illud petentibus. Sbroz. l. cit. num. 7. citato Pavin. de potest. Capit. Sede vac. p. 1. q. 8. num. 5. id afluente de Capitulo Sede vacante & ejus Vicario, & citante pro hoc Clem. de penit. & remiss.

3. Sic poterit Vicarius sine speciali mandato decernere excommunicationes præcedente cognitione causæ. Quas Concilium Trident. sess. 25. c. 3. intendit ad finem revelationis aut restitutionis inventorum, & quidem non obstante, quòd Concilium eisdem decernat, eas à nemine prorsus, nisi ab Episcopo decernendas; eò quòd verba illa concilii non excludant Vicarium, sed is quoque comprehendatur ibi nomine Episcopi juxta dicta alia; & illa solum ponantur ad concludendos alios inferiores Episcopis Prælatos, etiam si habentes Episcopalem jurisdictionem, & exemptos, ac nullius Diocesis. Pich. Laym. Garc. l. cit. num. 94. & 95. citans Enriquez in sum. l. 13. c. 17. §. 4. Rodriq. in summ. Tom. 1. c. 79. num. 1. Zerol. pr. Episcop. v. Vicarius. §. 17. Frechil. de excommunic. a. 2. p. 2. num. 5. Suar. de cens. Tom. 5. d. 20. l. 1. num. 2. Sanch. de matrim. l. 3. d. 29. q. 2. num. 16. contra Bannez. 2. 2. q. 66. a. 6. apud eundem Garc. num. 96. docentem, per dicta verba concilii excludi Vicarium, ita tamen, quòd si is ex commissione Episcopi sui dictas excommunicationes decernat, teneant quidem; eò quòd concilium non dixerit; quòd si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane: peccet tamen Episcopus contra mandatum Concilii, si sine urgente causa committat hujusmodi causas suo Vicario. Et hæc juxta expressam S. Congregat. Concil. super cit. c. 3. declarationem, quam recitat Garc. num. 97. in hæc verba: *Vicarius generalis Episcopi potest hæc excommunicationes decernere adhibita causa cognitione, nec indiget speciali mandato Episcopi; quibus non obstat alia declaratio ejusdem S. Congregat. quam recitat Garc. num. 91. in hæc verba: Vicarius generalis, & ad id facultatem habens ab Episcopo, potest sine pravia cognitione facta ab ipso nec Episcopo excommunicationes ad finem revelationis pro rebus deperditis decernere, dum tamen ipse Vicarius causa cognitionem adhibeat. Nam respondetur à Garcia n. 94. verba illa: ad id facultatem habens: poni ad excludendum Vicarium generalem habentem facultatem ad hoc limitatam seu ablatam ab Episcopo, qui utique non poterit dictas excommunicationes facere, præterquam, ut ipse Garcias num. 99. quòd dicta declaratio S. Cong. non videatur ita esse certa quàm illa adducta à se num. 97. utpotè magis juri conformis, teste Marco Anton. Genuens. qui etiam dicat, ita fervari in curia Archiep. Neapol.*

4. Notandum hic, quòd loco declarationis adjicit Sbroz. cit. q. 168. nempe Vicarium excommunicare posse, non quidem principaliter sic puniendo crimina & delicta, quia illa non potest cognoscere, aut gravi poena punire, juxta dicta à nobis supra, sed incidenter & in consequentiam, ne ejus jurisdictione sit

illusoria, & in effectu nulla. Pro hac declaratione citat Bero. in rubric. de offic. deleg. n. 27. & 28.

*Questio 148. An pari quoque modo Vicarius Episcopi possit suspendere, & interdicere sine speciali mandato?*

**R**espondeo affirmativè: Sbroz. l. 2. q. 182. n. 4. citans Rebuff. in pr. benef. tit. firm. Vicar. n. 174. Covar. in c. alma mater §. 2. num. 7. Navar. in man. c. 27. num. 159. & 168. Appellatione siquidem censura non solum venit excommunicatio, sed & suspensio & interdictum. Sbroz. num. 1. citans c. querenti. de verb. signif. c. is cui. de sent. excom. in 6. Abb. in c. cum ab Ecclesiis. de off. Ordinar. num. 2. Oldr. cons. 86. in fine. Covar. in c. alma mater. de sent. excom. p. 2. num. 7. Navar. l. cit. num. 167. censura autem sit nervus ecclesiasticæ disciplinae, Sbroz. num. 2. citatis plurimis. Ergo Judex Ecclesiasticus non minus suspendere & interdicere possit quàm excommunicare, ut Abb. in c. cum ab Ecclesiis. num. 4.

2. Limitat nihilominus responsionem Sbroz. n. 4. quòd licet ad majorem solum cautelam, ut Rebuff. l. 1. soleat in Vicariatu exprimi cõstitutio suspendendi, & interdicendi, in casibus tamen, in quibus ageretur de perpetua suspensione vel multum diuturna, Vicarius eam ferre non possit sine speciali mandato; quia suspensio perpetua vel diuturna dicitur esse de arduis secundum Innoc. & Abb. in c. ad hæc. de offic. Archiep. num. 1. ita ut dicant, Episcopum eam ferre non posse sine Capitulo.

*Questio 149. Specialis an Vicarius concubinariorum suspendere possit ab administratione beneficiorum sine speciali mandato?*

**R**espondeo: id eum posse respectu non exemptorum, non verò respectu exemptorum. Fagnan. in c. quoniam. de offic. deleg. num. 38. Facultas siquidem concessa Episcopo in Trident. sess. 25. c. 14. etiam uti delegato Sedis Apostolicæ, ut possit Clericos concubinariorum à beneficiorum administratione suspendere, & beneficiis privare, videtur transire in Vicarium quòd ad non exemptos; quia & jure ordinario poterat Episcopus in concubinariorum animadvertere. Toto tit. de cohabit. Cler. & mulier. quo ad exemptos verò opus est speciali subdelegatione secundum regulam; de qua in cit. c. quoniam. ita fere Fagn. l. cit.

*Questio 150. An possit Vicarius, sicut id potest Episcopus, scribari sufficientiam Notariorum, & eos imperitos suspendere ab officio?*

**R**espondet affirmativè Fagn. l. cit. n. 31. ob eandem rationem datam quest. præced. nimirum quia id poterat Episcopus ante Tridentinum jure ordinario, ut annuitur ex dictione illa etiam. & licet ibi Fagn. non nisi scrutationis faciat mentionem, loqui tamen etiam eum de suspensione, vel etiam depositione ab officio, patet ex eo, quòd hunc in finem adducit ex Bartol. & Bald. nimirum per eos in l. sed & reprobati. ff. de excusat. Tutor. probari posse favere publicæ utilitati approbatum semel reprobari; & quòd, ut refert Bartol. ab Archiepiscopo Capuano fuisse exauktoratos omnes, qui doctoris insignia adepti, sed minus, quàm decebat, eruditi Capuam reverfi fuerant. Item patet ex eo, quòd Fagn. in summario ipso num. 31. hoc ponat: Notarios imperitos ab officio suspendere, &c. subintellige, potest Vicarius.

*Questio*